



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An & quo jure Matrimonium sit indissolubile?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

In posterioribus juribus magis declaratus, vel etiam correctus (quod certissimum est, de correctione Juris Civilis ex diuturna v. g. annorum absentia, mortem præsumentis, & ad secunda vota transitum concedentis) vel de casu quodam loqui, ubi tantum præjudicium non inferitur, si ad alia vota conceditur transitus. Quando autem moralis certitudo habeatur, si testes sufficientes de visu deponentes non adsint, ex pluribus circumstantiis à prudenti judicio Judicis Ecclesiastici dependet, & desumi potest.

§. III.

An & quo jure Matrimonium sit indissolubile?

Matrimonium semel legitime contractum indissolubile esse quoad vinculum, non quidem jure naturæ, sed jure naturali Divino, probatur etiam ex c. *Unico de voto in 6.* & ex Trident. sess. 24. de sacram. Matrimon. & ex Evangelista Mattheo, 19. exigente hanc indissolubilitatem, non tantum prolis generatione, sed vel maxime bonâ prolis educatione; omnimodam tamen indissolubilitatem consummati Matrimonij inter fideles baptizatos, præceptum Christi etiam probat, prohibentis Matth. 19. ne separet homo, quod DEUS conjunxit, & Marci 10. v. 11. absolute dicentis, adulterium committere, qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit.

☛(O)☞

§. IV.

An & quibus modis dissolvatur Matrimonium ratum, & non consummatum.

Quod per professionem religiosam dissolvatur etiam quoad vinculum, ratum Matrimonium, nondum tamen consummatum, ex Tit. 32. prioris Libri Decret. patet; quod autem per dispensationem Pontificis matrimonium ratum, nondum consummatum, inter fideles dissolvi quoad vinculum possit, negant quidem multi, plures tamen, & communior affirmat, & ex praxi, ac factis Summorum Pontificum probatur, tum quod Matrimonium ratum non omnimodam insolubilitatem Christi cum Ecclesia significet, sed Christi cum anima tantum fideli, quæ sæpius per peccatum dissolvitur; prout habetur ex c. 1. *Debitum 5. de bigam. non ordinand.* tum quod indirecta in jure Divino dispensandi potestas videatur Pontifici necessaria ob bonum totius Ecclesiæ.

SECTIO VI.

De Impedimentis Matrimonij.

§. I.

De Impedimentis Matrimonij in genere.

Impedimenta Matrimonij sunt in duplici differentia, alia dicuntur impedientia tantum, quæ impediunt, quo minus licitè, non tamen quo minus valide

☉☉☉☉ 3

lidè